114 29

QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-quintâ Novembris.

M. MICHAELE PICHONNAT, Doctore, conſiliario, Medico Regis, Præſide.

An Medico evidentior Dei Exiſtentia?

I.

DEUM à Medico ſuſpici rem raram qui dicit, is Chriſtiani nomine indignus eſt. Medicus quam qui maxime Deum novit: qui Deum novit, is colit. Nulla ſcientia melius ad Dei cognitionem conducit quam medicina, tota hæc divina, licet naturalis. In operibus naturæ nonne Deus eſt? In corporis ſtructura, in circuitu ſanguinis, in muſculari cordis motu, in ſemine fœtum recludente, quid niſi divinum? Spirituum impulſus velox, jugis liquorum ſecretio, humorum, fermentorumque vires acidæ, his contrariæ, ſulphureæ, oleaginoſæ, ſalinæ, inſipidæ, illarumque commixtarum varii effectus, ſi leges naturæ ſectantur, quidni & decreta Dei? In ſenſibus externis, quos octo credas; in converſione alimentorum in chylum à chyli reliquiis; chyli in ſanguinem, à ſanguine; In nutritione partium à diverſis, diſparibuſque cruoris particulis extra vaſa poſitis; in ſpontanea ſtercoris nullo alio adjuvante excluſione; in improbo exitu recrementorum ſanguinis per poros; in ortu hominis, ejuſdemque occaſu, licet Medicus naturam accuſet, potius edepol miratur Numen Optimum Maximum. Quid tum? ordinem omnium etiam minutularum corporis partium ad vitam animalis unà ſimul concurrentium quis diſpoſuit? An ſors, an caſus, an ars humana? minime gentium: quis igitur? Deus.

II.

NATURA, cui omnia credere Medici dicuntur, nihil aliud eſt, præter materiam certo modo diſpoſitam, configuratam & motam. Materiam ex ſe inertem nemo eſt qui ignoret, negetve configurationem & motum aliunde derivari. Illud patebit ſi coctionem & generationem conſideraverimus. Coctio ſic inſtituitur. Alimenta in ore attrita, in ventriculum impulſione deturbata, non attractione pellecta, fermento acido tam ex reliquiis ciborum orto, quàm iſti parti affixo, in minimas dividuntur particulas, ad principia reducuntur, agitanturque tamdiu, quamdiu in liquorem lacteum fuerint converſa. Quam tunc alimenta recipiunt partium configurationem, quem præ ſe ferunt colorem, ſibi vindicare nequeunt; fermento accepta referant neceſſe eſt. Fermentum conſtat particulis acidis, acuminatis, & motis: motum non ſibi dedit, ſed ab anima accepit fermentum. Generatio debetur permixtis in utero utriuſque ſexûs ſeminibus. Semen è ſubtilioribus, ſpiritus vocant, craſſioribuſque particulis componitur. Spiritus ſola motûs lege partes craſſiores ad loca deſtinata propulſant, ut viſcera, tegumenta, oſſa compingantur, cæteraque unde corpus humanum. Hanc diſpoſitionem & figuram non corpus, ſed ſpirituum motus fecit; motum non ſibi impertiêre ſpiritus, ſed illis præbuit anima.

III.

PER animam homo ſentit, loco movetur, cogitat, intelligit, judicat, diſcurrit. Illa materialis, vel quid à materia diverſum. Materialis non eſt: materia ſentire, cogitare, intelligere, judicare nequit nec diſcurrere. Quamvis autem ſpiritalis ſit & materiei prorſus expers, nec eſſe ſibi dedit, nec eſt ab omni ævo; imò creata eſt. Quod nam autem ens ſpiritalem illam ſubſtantiam creavit? Prima omnium cauſa, Deus. Proh hominum fidem! quæ diſciplina ad numinis notitiam ducit patentiori viâ atque faciliori? quæ ſcientia omnipotentis exiſtentiam magis declarat? profectò nulla uſquam eſt. Juriſprudentia leges tantum docet humanas; Theologia ſolummodò ſupponit Deum; Phyſica Dei quidem exiſtentiam conjicit; ſola Medicina palam facit.

IV.

IN ſingulis hujus univerſi corporibus elucеſcit divini autoris ſapientia. Hæc in animalium corporibus præſertim admiranda,

quæ quanta in iis ſit, niſi ab Anatomes imperitis negari nequit. Nemo homo anatomiæ plus ſtudet quam Medicus; nemo igitur homo meliùs novit divinam in homine fabricando ſolertiam. Quis hanc propiùs ſpeculatur? Medici eſt omnes corporis humani partes, fere dicam miracula inveſtigare, monſtrare. Aperit ne corpus humanum? ea inſpicit, quæ nullis opificum auſis concedunt. Rimatur ille profundorum muſculorum tendines, ſublimium chordas per medium corpus perforantes; detegit ille trochleæ ſpeciem ad maxillam inferiorem deorſum trahendam, ex muſculo os hyoides ſurſum lateraliter movente, diagaſtrico conſtructam; exhibet ille oculum vere microcoſmi miraculum. Hunc fodi, quot partes! quam delicatulæ! quam variæ! quam admirabiliter ad ſuos fines diſpoſitæ! Hæ figura, numero, poſitu egregium oſtentant artis opus. Nec minorem arguit artem pupillæ parvitas, ampliſſimorum objectorum ſpectra admittens. Quam prudens, quam ſolers hujus inſtrumenti opifex! diverſas & minimas partes tam affabrè diſpoſuit, ut de rerum amplitudine, de locorum intervallo in quantulacunque retina depictis, certum ferat anima judicium. Quis oculorum uſum animo contemplatus eſt? quis mirificam oculi ſtructuram oculis hauſit ſuis, numinis admiratione non obſtupe factus? In hoc videndi inſtrumento cæteris ſenſibus artificioſiori & excellentiori mirum quantùm luceat Dei præpotentis majeſtas. Ex hoc uno prodit veritas etiam non quæſita; ſcilicet hujus numinis nutu quo ingens diverſarum partium artificiosè contextarum apparatus ad unam actionem dirigitur totus; eodem diverſos & ordinatos ſyderum motus, varias tempeſtates, telluris mariſque divitias, aeris animabilis ſpirabiliſque naturam, diſcordem contrariorum corporum concordiam, ad ſalutem omnium conſervationemque mirabiliter produci atque adminiſtrari.

V.

AD Σόφȣ illius Δημιουργȣ̃ vim admirabilem prædicandam maxime facit corpus humanum non verbo, ſed familiari Dei manu concinnatum. Habent Medici illud contemplationis artiſque ſuæ fundamentum, in quo Deum vident, & (dicam ſi verbis audacia detur) quaſi manibus ipſis attrectant. Iniquus igitur erga Medicos judex, qui temere contendit hujus profeſſores curvas habere in terram animas cæleſtiumque inanes; qui hanc artem vilipendet, cujus quæſtus maximus eſt, quam maxime ſervire homi-

num commodis. Vetus illud ſanè eſt Medicinam id habere commune cum bonis Principibus, ut bene faciat & male audiat. Verum ab iis tantum deſpecta eſt, qui animum non advertunt ad ejus parentem Deum Opt. Max. cujus ſummo munere ad ſublevandas calamitates hominibus data eſt. Hæc ſola auxiliares admovet manus, ubi non æris acervus & auri ægroto domini deduxit corpore febres. Ægri quidem non omnes convaleſcunt: conſule Ciceronem; idcirco non eſt ars nulla medicina. Si omnia fecit Medicus ut ſanaret, peregit partes ſuas. Plutarcho Tiberius Cæſar dixiſſe videtur arrogantiùs cum pronuntiavit, ridiculum hominem eſſe, qui uſu rerum doctus manum Medico porrigeret : vixiſſet hac ætate Plutarchus eadem reprehenſione non notaret Ludovicum Magnum cunctis Cæſaribus majorem, qui medicos reſpicit, tuetur, fovet. Et quidem medicina potentiſſimi Regis delitiæ per honorificis ab ipſo titulis cohoneſtatur. Quis igitur jam medicinam impetat ? Hæc Poëtas, Rhetores, Philoſophos defenſores habet; tutorem Maximum Regem agnoſcit ; Deumque ipſum & parentem & patronum ſibi arrogat : Et quidem Deus non ſolùm medicinam de terra creavit ; verum etiam juſſit ne opera Medici ut pote neceſſaria à ſapiente diſcederent. Quæ igitur ars ſummos antiquitatis viros, Reges ipſos in ſuas trahit partes; quæ Deum ipſum parentem habet; illa certè ad Dei cognitionem neceſſariò deducit. Sed ſi Philoſophis & Medicis perſpectum eſt diſcrimen quod intercedit inter τὸ ὂν ϗ τὸ γιγνόμενον divini Platonis; illud certè diſcrimen maximè notum eſt Medicis, Dei in ſervandis hominibus famulis, & miniſtris.

Ergo Medico evidentior Dei exiſtentia.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Philippus Ignatius Save.
M. Petrus Ioannes Burette.
M. Ludovicus de Vaux.
M. Petrus Marais, rei herbariæ Profeſſor.
M. Carolus Contugi.
M. Franciſcus Vernage.
M. Dionyſius Dodart.
M. Dionyſius Puylon.
M. Raphaël Maurin.

Proponebat Pariſiis JOANNES BAPTISTA CHOMEL, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1694.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.